Schola Urbanitatis:

SIVE DE ELEGANTIA MORUM, ET Civili Conversatione INTER HOMINES.

Inprimis venerare Deum, Summa enim delicti est nolle agnoscere quem ignorare non possis.

LONDINI,
Typis *E. G.* impensis *G. Lee* in vico vulgò vocat. *Fleet-street.*
MDCLII.

Exoptatiſsimo Juveni,

Amicorum principi,

Domino

Hieronymo Luckyn S.



T tibi, ſuaviſſime, Libellum hunc qualemcunque nuncuparem duplex admonuit ratio ; quarum prior ut à voto ſuſcepto me exolvam ; quippe ſanctiſſimè devovi, quod ſi unquam contigeret ut opuſculum hoc à me in lucem emitteretur, tuis tantum Auſpiciis commu-

 nitum

nitum prodiret: Nihil equidem in eo continetur quod Invidiæ Fluctus commoveat, auspicatiora ſiquidem huic præſagit animus cùm ex opellæ ſimplicitate, tùm innocentiâ; atq; adeo nec Mæcenatis alicujus nomen (ut *ARSE VERSE*) in Antefixis pinximus, cujus patrocinii dignitas, urgenti livoris procellæ opponi potuit. Quapropter tu tantùm Limentinus eſto, & Tutelare Numen tacitâ cogitatione tibi jamdudum conſecrati. Poſtrema verò ad amoliendum deteſtabile τῆς ἀμυησίας opprobrium, ac proinde ut aliquid eluceat quod tibi eſſet in ſtudii

noſtri

nostri erga te Indicium: Exile fateor munus & tam candidâ Indole prorsus Indignum. Sin aliud quærerem, sumptuosum satis assequi penitus desperarem, neq; prorsus contemnendum; quippe observantia quà Authori (ut ita dicam) teneris tenello huic gratiam postulabit; sub cujus Laribus obstricta est amicitia nostra eo nexu Gordiano cui mors sola futura sit Alexander. Cumulatissimè voti compos evadam, si quid dehinc exoriatur si non augendam, saltem ad confirmandam antiquam nostram consuetudinem, quod haud difficilè futurum confido, quum salvo interim

terim pudore profiteri ſum auſus, neminem, me uno, tam ſynceri pectoris Candidatiorem ſpirare. *Vale.*

Tibi devinctiſſimus

H. B.

Ex Ædibus Hoſpitii Lincolnienſis Londin. 1651.

Præmiſſa

Præmissa Lectori.



Ibellum hunc quem tibi, amice Lector, porrigimus, à Jesuita quodam è Gallicâ Linguâ traductum ferunt, at viginti sex documenta quæ in fine cujuslibet capitis ordinem claudunt, & asteriscis præfixis distinguuntur. Generosus à Rep: literariâ, optimè meritus, atq; adeo à me haud sine summi honoris

noris præfatione nominandus Latina fecit, idq; in gratiam Juventutis ingenuæ quotidie ſub ejus laribus verſatæ; Idcirco *nemini confido erit injuriæ ſi quod ante hac ſub privatis Penatibus latitaverit (publicæ utilitatis ergo) typis mandavimus.* Habet *enim libellus hic non modo unde Juvenes (in quorum uſum imprimis deſtinatur) habet quinetiam unde provectioris ætatis homines fructum illumq; haud modicum reportare poterint; vaticinatur autem animus quanto cum* Cachinno, *ſi non prorſus faſtidio, delirantes iſti ſilicerni opuſculum hoc ſint excepturi, immo* Ronchos *blaterent & ſuſpendant Naſo, at profecto*

ſecto quod ad me ſpectat hæc omnia quàm teruncii minoris facio. Si ætati ſuæ rem alienam eſſe ſentiunt ad tàm puerile ſpeculum ſeipſos exigere, moribus utantur ſuis: pudet autem fari, quod indies animadverti, nimirum quoſdam eosque literatiſſimos Ingeniis eſſe adeo Rusticis ac vere Batavis ut in Adagium ivit Mere Doctus.


In locis nonnullis Errata tùm Operarum incuriâ, tùm Exemplaris defectu admiſſa non diffiteor, curſim utpote ab Archetypo tranſcripſi, & quod jam diu animadverti per feſtinationem multiplicantur errores, ad hoc incommodum

modum amoliendum omnem curam studiumq; convertimus, ac cogitabundi quâ ratione id fieri possit, subiit animum Generosus quidam penes quem Ectypum Emendatissimum esse cognovi, huic itaq; innotui quomodo se res habuit, quin & subjeci nisi maturè obstretricantem admoveret manum periclitari partum, sane ut quod res est dicam, citius quod Aiunt Herculi clavem extorqueas, quàm illi exemplar; periisset plane fœtus nisi quod adeo instantèr urgebat Typographus ut pene nolentem Extimulavit, illius itaq; volo, honesto satis, ut satisfacerem; à mendis quantùm fieri potuit immunem reddidi, ac de cæteris quæ supersunt,

ſuperſunt, Lectorem oramus, ut tanquam vitium Libris univerſis primitùs exeuntibus genuinum corrigat. Vale.

H. B.

Schola



Schola Urbanitatis:

Sive de Elegantiâ Morum & Civili Conversatione inter Homines.

CAPUT I.

Civilis Conversationis generalia ac miscellanea Documenta.

1. OMnis in aliorum conspectu suscepta actio, specimen Animi honorificè eos colentis præ se ferat.

2. Fœtidarum rerum sensum aut memorium commovere indecorum est.

3. Coram aliis serva id attentè quoad potes, ne ad quam Corporis partem manum porrigas, quæ exposita oculis esse non soleat; solent autem & vultus & manus. Id consue-

tudine ipſa ut teneas, aſſueſce huic decoro, etiam cum ſolus es.

4. Quæ terrorem incutiant, ea ſocio ne commonſtres.

5. Tecum tute ipſe ne cantites, niſi tam ſolus ſis, nemo ut abs te alius audiat, nec pedum autem, nec digitorum pulſu tympanotribam agito.

6. Nec dentes defrica, nec iis ſtride, nec quicquam aliud ita collide, ut eorum ſtridore ſenſum moleſtè aliis laceſſas.

7. Illiberale eſt diductis Brachiis corpus pandere, aut horſum illorſum contorquere.

8. Cùm tuſſis, cùm ſternutas, ſi regere rem potes, ne magno & vibrante ſono inconditè inſtrepe. Suſpiria ne ducas, quæ alii ſentiant, ſine gravi Cauſâ.

9. Ne ulula oſcitando : ſi potes oſcitatione penitus abſtine, ſed tum etiam diligentius cùm aut loqueris, aut loquentibus præſens es. Habet enim id tædii ſignificationem, aut parum comis obſervantiæ in eos, quibuſcum agitas. Si, quin oſcites, continere te non potes, ſaltem ne loquere interim, nec patulo ore hiſce, ſed preſſa illud modeſtè, ſeu manu objecta, ſeu ſeudariolo, vultu ab circumſtantium oculis modicè averſo.

10. Cum nares Emungis, ne Buccinæ in modum naſo perſona, nec quod elicaris in ſudario reſpecta, nevè quod pueri ſordidè faciunt,

faciunt, mucum digitis tibi aut manicâ deterge; sed in id linteo emunctorio semper utere.

11. Obdormiscere aliis sermocinantibus, sedere dum stant, inambulare dum immoti manent, loqui dum silendi tempus est, vel audiendi, res sunt inurbanæ omnes, atque indecoræ; ei tamen qui cæteris antestat, sunt tempora locaq; quibus in cætu secum inambulare liceat, ut magistro in Scholâ.

12. Non decet in Cubiculo, Cubile esse incompositum; non in aliorum oculis aut vestire se aut despoliare; non Cubiculo exire semivestitum, aut pileo Nocturno redimitum: ne sit Cubiculum aut Pluteus inconcinnus, præsertim in aliorum conspectu. Ac tam etsi tibi ad manum domi sit, qui Lectum sternat, tamen cum ex eo desilis, ne inconcinnè disjectum, & detectum relinquas.

13. Dum studes, si alii tecum unà student, inurbanum est cuiquam obstrepere, aut tam clarâ voce legere, ut interpelles; est & inscitum, ac illiberale, magistro docente, studere, aut alia intempestivè legere, sociosvè, quo minus attentè audiant, impedire.

14. In Scholâ, aut Concione, dum audis, ne exultantius gestias, ut Saperda præ cæteris atq; intelligens, non sine aliorum despectu, videaris.

15. Ad Ludum atq; ad Focum, recens hospitio exceptis locum non dare indecorum est.

 16. Cave

16. Cave ne immodicè ludo incalescas, ne ludum Contentionibus, aut clamoribus misceas; ne dum calore ardes, interbibas, seu Calor è ludo existat, seu ex itineribus labores seu ex operâ, causâve aliâ; nam omnino æstuantem bibere, insalubre, ac periculosum est.

17. Despuere in focum, manus calefaciendi causâ, proxime ad cineres aut ardentes prunas admovere, flammis ingerere; ad Ignem, quasi humi sedeas sidere, atq; incurvari, invenustum est. Si quid ad Ignem coquitur, pedem supra Ignem ne oppendito. Honesto in cœtu tergum tibi ne calefacito, neu proprius quam cæteri astent, accedito: Nam Hoc utrumq; excellentiæ est & Authoritatis; ejus solus est qui Authoritate polleat, aut cui foci cura commissa sit, focum furcâ Igniariâ movere, accendere, ligna indere aut demere.

18. Sedendi lex esto, ut pactis in terram pedibus, iisq; & cruribus æquatis sedeas, non aut crus cruri invenustè superponas, aut divaricatis sedeas pedibus.

19. Ungues nec resecandi palam, nec dentibus sunt demordendi.

20. Digiti non salivandi, non articulatim dispandendi, distorquendive, digitis mucus naribus non eliciendus, nec nasus converrendus, aliis contuentibus.

21. Caput non quassabis, tibias non agitabis, oculos fœdè non dirabiabis; supercilia inæqualitèr

æqualitèr non attolles, os non distorquebis. Quem alloqueris ejus faciem pytismate atq; oris salivâ ne conspuas, id ne accidat, justo ex intervallo colloqueris.

22. Præsente altero ne Pulices confice, nec sordida id genus Animalcula. Quod si sordidum aliquid humi occursans tibi oculos lacessit, quale purulentum, sputum, talevè aliud, id si commodè potes, pedum pressu confunde atq; obtere. Sin ejus, quicum agis, vestibus adhæret, non alteri commonstres, sed quoad potes, sic tolle concinnè atq; industriè, ut ne sentiat quidem. Qui alius autem simile aliquid tibi decusserit, dempseritve, comem & gratum animum ei ostende.

23. Nec porrò procul, nec post humeros est excreandum, sed longiusculè, & in Latus, non ulli, qui unà adsit ex adverso: at si lentior, crassiorq; est pituita, pede illicò, si potes, est opprimenda. De fenestrâ in subjectam viam ne despuas, ne in focum, ne in Malluvium, neq; alium in locum, unde lentor ille pede aboleri non possit.

24 In congressu cum aliis, colloquia prosertim, tergum eis obvertere inconditum est. Est & importunum mensam incursare, aut pulpitum succutere, ubi aut legit quis, aut scribit, est ad alterum, tanquam adminiculum, adniti; est cui loquaris, cui loqui velis vestem ducere; est cubito pulsare, indecorum.

25. Noli ut bellus videaris, ineptè quovis momento Barbam componere, tibialia aptare tibi, adducere aut reducere, ut belle quadrent. Ungues ne sordibus oppleti, neu prælongi sunto. Dentium ac manuum munditiam curato, sed decenti cum incuria, absq; curiosâ nimis & molesta Elegantia.

26. Noli Buccas inflare, linguam exertare, barbam tibi mulcere, manus confricare, labia distendere aut mordere, pressa arctius aut hiulca habere.

27. Ne assenteris, nam qui alterum Phaleratis dictis ducere instituit, is ostendit se dispicatui eum habere, certè minus cordatum credere, quem idoneum putat in quo sic illudat. Quem joci offendunt, ab ejus auribus eos facesse.

28. Contrà decorum est, in familiari congressu, libros, literas & id genus aliud legere, nisi in re necessaria, ac quasi aliud Agens. Ac tum etiam veniam præfari consentaneum est, nisi forsan cæteris qui tecum sunt, authoritate sis superior. Multo ab indecoro est alienius, aliena scripta, Libros aut res generis ejusdem contrectare, applicare se ad ea proprius, aut oculos in ea figere, non annuente eo ad quem res pertinet, nec laudaris ea, vel carperes, antequam sententiam de iis rogeris. Item nec oportet, dum qui te prope est, literas, talevè aliquid privatim legit, corporis appulsu, aut

oculorum

oculorum conjectu, ejus lectioni imminêre.

29 Vultus ne ſit imaginoſus, nec temeritatis Index, ne ſit ſeverus nimis aut torvus, non admiratione ſuſpenſus, aut attonitus, non mærore obductus, varius & inconſtans, nullam deniq; perturbati animi ſignificationem præ ſe ferat. Tranquillus ſit contrà, ac ſerenus, nec ſeriis in rebus nimia hilaritate ſolutus, nec in familiari & communi vitæ conſuetudine, nimiâ ſubductus gravitate

30. Sint Corporis geſtus, rei de qua inciderit ſermo, conformes; in arte enim dicendi ſemper pro ſolœciſmo habetur terram indigitare, cum de Cœlo loqueris.

31. Nemini improperes defectus Naturæ, qui nullâ arte corrigi poſſunt, nec ſit tibi voluptate, tales infirmitates patientis in mentem ingerere, cùm ſæpiſſimè Invidiam conflat, odiumq; parit ultionis percupidum.

32. Cum alterius infortunium ad aures tuas pervenerit, ne afficiaris gaudio, quamvis in te malè affecto contigerit; hoc enim eſſet indicium animi malevoli; indeq; facile convincaris, [illegible] animum fuiſſe paratum, id ipſum perpetraſſe, modo opportuna poteſtas voluntati tuæ accidiſſet.

43. Cum delinquentes pœnas ſubire videris, Judicis vigilantium in plectendis ſontibus animo tuo approbare poſſis; hoc enim publicæ confert tranquillitati, tu tamen doleas vices

delinquentis, ejusq; culpa sit tibi cautioni.

34. Ne nimium ridea, nec nimis effusè, dum in publico quicquam spectaris, ne sic faciendo tute teipsum præbeus objectum omnium risu accipiendum.

CAPUT II.

Congressionum prima officia Ceremoniæq;.

1. ABstinendum quamvis sit immodicæ urbanitatis intemperanti studio, necessariæ tamen in communi vita, atq; opportunæ morum Elegantiæ diligentèr ideo sunt attribuendæ, quod prætermitti sine eorum injuriâ non possunt, quibuscum vivitur.

2. Spectatos, honestosq; viros, ut Deo sacratos, ut in civili dignitate locatos, aut istorum similes, capite aperto venerare, Galeri aut pilei, quem honoris causâ tibi exemeris, patulâ interiore parte ad te[illegible]ctâ; hoc quoq; fiat decenti corporis flexu, prout cujusq; dignitas, & ingenuus bene educatorum mos fieri postulat. Ut autem insulsa res est caput, salutandi causâ, non aperire quibus par est, aut expectare dum æqualis tuus te hoc officio antevertat: sic cùm non opus est, id usurpare,

speciem

fugereq; omnem Arrogantiæ culpam, ac ſpeciem.

17. Viris gravibus colloquens, corpus tibi ne adminiculato, oculos in eorum ora ne defigito, plus juſto proprius ne accedito, paſſus circiter unus interjectus eſto.

18. Ad ægrotum ubi adieris, extemplò, medicinæ ignarus, Medicum ne agito.

19. Viros dignitate conſtitutos, & exiſtimatione florentes, cùm literas ad eos dabis, aut alloqueris, ſic compellabis, honoris causâ, ut mos patrius atq; ipſorum dignitas poſtulat. Scriptas jam literas relege, ut erratis, ſi quæ fuerint, perpurges; Pulverem, ubi opus erit, inſperge, nec, niſi literis probè deſiccatis, Chartam complices, ut ne lituris deformentur.

20. Noli cum majoribus in argumento contendere, aut illorum ſententiæ tuam pertinacius opponere, ſed modeſtè illorum judicio, utpote maturiori, tua ſubmittenda opinio. Præſertim cùm proclivius in errorem labi ſolent juvenes, quàm ætate provectiores.

21. Ne te præbeas inſtitutor ejus, qui tibi par eſt, in illâ quam profitetur arte; hoc enim arrogantis eſt, atq; temeritatis notum facilè innueret.

22. Ceremoniæ & inter converſandum compellationes adhibendæ, reſpondeant dignitati

dignitati ejus cum quo converſaris ; perquàm enim incongruum, & inurbanum eſt, magnificis & Bullatis titulis plebeium compellare.

23. Ne te hilarem exhibeas coram ægrotis, aut gravi dolore affectis; diſſimilis enim illa & contraria affectio, eorum facilè augebit miſeriarum molem. Tu verò è contrà ſympathiâ quâdam dolentis infirmitates tolerare te oſtendes; ſic enim compatiendo, levamen non mediocre eorum moleſtiis pergratiſſimè adferes.

24. Erga majores, præſertim magiſtratus illuſtriori loco conſtitutos, humilem te præbe & morigerum, cum æqualibus verò ità converſandum, ut nullam arrogantis ſpeciem præ te feras. Sitq; tibi hoc ratum quod ex affabili erga inferiores & tractabili converſatione, *Perhumani* & *Civilis* æſtimationem, tibi acquires.

CAPUT

CAPUT III.

Compellandi, monendi, aut ſalibus utendi forma ac Ratio.

1. QUæ ad viros illuſtres adhibendæ ſunt honorificæ compellationes, ut temporis moriſq; patrii ratio habeatur, neceſſariò poſtulant; de quibus, viri communis vitæ gnari & experti conſulendi ſunt. Inſuper quæ in ſermone ritæ adhiberi cæptæ erunt, dum cum iiſdem ſermo habebitur, variè aliis compellantibus ne commutentur.

2. Vulgatioris fortunæ homines cum alloquimur, compellamus eos familiaritèr, dicendo, *Vos*, *Vobis*, *Non*, contemptim. *Tu Tibi*, niſi puerulus forte ſit, quocum blandiuſculè loquimur, multò nobis ætate inferior; feratq; hanc liberiorem compellandi formam, politiorum loquendi uſus. Patribus tamen in liberos certam ad ætatem (ac paſſim in Galliâ uſq; dum patriâ poteſtate exierit) conceditur hæc authoritas, ut *Tu*, *Tibi*, *Te*, uſurpare ſine inurbanitatis notâ liberè audeant poſſintq;. Par ſcholæ Magiſtris in ſuos puſiones, aliiſq; qui ſimili jure præſunt aliis conceſſa videtur Authoritas. Ad intimos

&

& familiares quod attinet, mos patrius liberiorem illis non nusquam Tutissandi inter se potestatem facit, alibi verò severius prohibet.

3. Qui in ullo opere, quod potest, quodq; debet facit, quamvis res votis tuis non respondeat, tamen eum ne carpa, laudari enim, quàm vituperari dignior est.

4. Moniturus reprehensurusve quempiam, circumspice diligentèr, clàm, Palàm, isto, non commodiore alio tempore, immò & quo genere verborum fieri id par sit, maxime ubi quis alius monitus, nec præteritis nec futuris erratis remedii spem adhibet. Ante cætera, sive mones, sive reprehendis, absit iracundia, vocisq: contentio impotens; contraq; omnis moderatio animi adsit, & placabilitas.

5. Cum quis te admonuerit, quo idcunq; modo, loco, tempore faciet, amicè & cum gratia accipe. Post si culpâ vacabis, licebit sane ità facias, sed cum hac cautione, ut in tempore loco, modoq; convenienti, magis ut admonenti de eâ re molestiam eximas: quàm ut te excusatione defendas, præsertim si ejus es curâ & potestate.

6. Nulli vitia exprobres, ne defectus naturæ quidem, nec sit tibi voluptati verbis, factisve quemquam pudore suffundere.

7. Nec gravi, nec probrosâ in Re dictis ludito, si cavillari placet, ne morde, ne lacera ut canis. Sales sint ex re nati, sciti nulli

nulli odiosi aut acerbi. Facetiæ, ne, quod scurræ amant, indignis ex rebus, ex inverecundis actionibus risum quærant, si quid lepidè argutum, si festivum dixeris, risum aliis permittere, tu risum contine.

8. Summo opere cavendum ut conversatio tua ea in re virtuti quadret, quâ alium continere studes; ne ex factis tuis consilium sanum redditur inutile. Illa enim exhortatio pro rata firmáq; habenda, quam seria ejusdem virtutis prosecutio re ipsâ probat, & faciliùs ducimur exemplis quam præceptis.

9. In scriptis vel compellationibus neminem fraudare debes justis honoris titulis, ne illorum meritis, censoriè nimis, detrahere videaris.

10. Non temere fides est adhibenda rumoribus male vulgatis, de amico aliove quopiam, sed censuram tuam regat charitas, donec liquidò constiterit quo modo res se habet. Hac enim ratione & illorum famæ consules, & temetipsum à temeritatis nota liberabis.

11. In neminem verba jactanda probrosa nec quemquam convitiis proscindes, aut diris devoveas, impropria enim & execrationes, magis Malevolum tuum affectum palam testabuntur, quam quicquam afficiet, ei quem opprobriis oneras.

CAPUT IV.

Vestitus cultusq; corporis.

1. NE sis curiosè nimis comptus, collare, cæsitium, comam, Barbam impensiùs ne curas. Odoribus perfusus ne prodeas, Galerum neq; adductum altiùs, neq; in oculos reductum depressiùs ne Thrasonico fastu compositum geras.

2. Præsentibus aliis ne ligulis te astringe, ne relaxa, neu ad requisita Naturæ te compara, Naturæ ut servieris, si cibus dehinc contingendus est, manus elava, at si fieri potest, aliis haud conspicientibus.

3. Sanitatis, unà & munditiæ interest, mane lecto solutum, faciem, manusq; abluere, tum opportuno in tempore caput pectere, dum ne curiosiùs & ad delicias id fiat.

4. Non sint sordidæ, laceræ, pulverulentæ, aut depilatæ vestes. Semel fere in dies singulos, scopulis depurgantur. Quin ubi sedeas, ubi in genua procumbas, quo corpus applices, videto, ne aut pulvere, aut quâ aliâ immunditiâ locus sordeat. Pallium sub alas Basilicam ad pompam ne subitringito. Seu Togam autem, seu Pallium tibi eximes, complicato ea

eo decentèr, & compoſitè, atq; ubi deponas, etiam advertito.

5. Genus veſtium id ama, quod tui compares honeſti, modeſtiq; uſurpant habitâ prudenter locorum temporumq; ratione. Id hic etiam age atq; opta, inter æquales tibi ut veſtium cultus ſimplicior, ac modeſtior ſit potius, quam aut opulentior magis aut apparatior.

6. In veſtitu ſemper modeſtiæ ſpecimen, naturæ potius incommodis ſuccurrere volens, quam veſtiarii artificio curiosè nimis aliorum procurare admirationem. Veſtimenta ad externum cultum & ornatum corporis ſufficere poſſint; ſed viri graves aliundè quam ab exteriori cultu æſtimationis meritum petere ſolent. Imò hoc certo apud me ſtatuo, ſi laudabilis ſolius Elegantiæ & decoris tibi impenſior ſit cura, ſummoperè conaberis levis & Phanatici notam procul à te amovere.

7. Veſtium concinnitas & Elegantia ne in admirationem tui te ducat, eâ enim ratione palam teſtaberis, te ſummam dignitatis gradum, in veſtiarii operâ & peritiâ ponere.

CAPUT V.

De Incessu, sive unius secum, sive unà plurium.

1. FAc, cum incedis, gressu eas nec concito effusè, nec languidè inerti, non ore diducto, hiantiq; non promicanti, non datatìm nutanti corpore; non pendulis manibus, non jactatis, succussisq; Brachiis, non pedum plantis valide terram compulsantibus, non variè immissis, non valdè projectis pedibus, non terram converrentibus. Sunt & hujus decori partes, tibialia passim in incessu non adducere, aut femoralia subnectere, non summia niti pedum articulis; non subsultim, tolutimve, ut in choreâ, non corpore incurvo nec prono capite, sed erecto corpore, & ad majestatem quandam incuriosam composito, incedere oportes; non saltuatìm, non calcaneis sese incursantibus ingredi.

2. Ne Pavonis instar magnificè te circumspice, pulchrè an comptus sis, calceatus commodè, tibialia, aliæve vestes bene an corpori aptentur. Pedem cubiculo ne effer, scriptorio calamo, aut ori indito, pileo, aut auriculæ imposito, omitte & Flores, talesve amænita-

tum

tum delicias fœmineas, auribus, Galero aut quo alio modo præfixas circumferre. Sudariolum ne manu gestato, nec pendulum ex ore, è zonâ, sub axillam congestum; loco illud habeto, unde nec aspectabile sit. In humeros immissum, sub toga abditum aut quo alio loco habere, unde oculis facilè exponi possit, illiberale ac omnino inurbanum æstimatur, sed alicubi reconditum erit, unde, quando exegit usus, præstò expromi possit, cùm verò mucus è naribus eliciendus est, si vel prætereuntium, vel sedentium frequentiâ constipatus es, Galero modestè interposito, (ut apud plurimos in usu est) sudarioloq; concinnè explicato, nasum munge. Idem nisi mundum, & propè adhuc intactum abs te, alteri ne offeras.

3. Seu solus seu comitantibus aliis, per vias esitans ne incedas, præcipue in conspectu occurrentium & in Civitatis luce publica. Ne domi quidem alieno tempore & intempestivè comedendum, præsertim coram alienis & haud familiaritèr notis hominibus.

4. Solus tecum ne ride, ne colloquere, non sunt enim hæc sapientis, nec solus per viam cantu te exhilara, unde alii rem percipiant. Non te offeras mirantis specie, tanquam magno aliquid animo volutes. In via ligna, lapides, res; reculasve id genus alias, ut missilia ne jactes. De Industria saxa pedibus nè colli-

deto, ne Emoveto; ſtultorum enim negotia ſunt iſta. Non te inferas capite arduo, non depreſſo abjectius, non contorto ineptè, aut in dexteram, aut in lævam, non oculis huc illuc vertiginosè motantibus.

5. Imprimis ſi honori tuo conſultum vis, cum bonis ambula. Si id non potes, quia aut non noſti, aut qua alia de cauſa, ſolum te eſſe atq; ire, quam cum malis, multò eſt optatius.

6. Si cum æquali tuo gradieris, in eum principatum tibi ne arroges; ne ambitioſæ anteceſſionis delicias ſecteris, neu ſi locus tibi pro dignitate delatus non erit, indoleſcas. Sin dignior ſit comes, dextrum tibi eum, certè honoratiſſimo loco ſtatue, ac dum unà itis, cave gradu eum prævertas honoratiori.

7. Domi ſi ſolo comite uno ſpatiaberis, atq; is erit cui honorem debeas, eum primo ambulationis ingreſſu ad dexteram colloca, niſi cum ſubſtiterit, ne interſiſte, prior ambulationem ne converte, ipſa in converſatione vultum, non humeros ad eum adverte. Si ſpectabilis vir fuerit & illuſtri diguitate conſtitutus, gradum eo penitùs ne æquato; tantillum reductus eum proſequere, ſic tamen dimensè, ac modicè, tecum ut commodè ſermonem conferat. Si compar tibi ſit, ambulationis ſpatia pari cum eo greſſu dimetiere; prior ne ſemper te converte, nec in medio inceſſu crebrò interjunge, niſi cum magna neceſſitas

necessitas rem excusabit. Res enim ista & principatum præ se fert, & molestiam creat. Qui inter stipantes medius ambulat, si fortunâ & dignitate pares utrinq; sunt, aut penè pares, alternis ambulationē convertat hinc ad dextram, inde ad sinistram; sin dispares sunt, digniorem versus sese plurimum convertat. Deniq; qui eum cingunt, semper ad eum & cum eo, non ante, aut post, se convertent, quippe ipse Ambulationis metator est.

8. In deambulationibus solitariis, ne gestu affectus animi indica, nec ea ratione, pectus tibi reddes fenestratum, aut Chrystallinum, quo interiores mentis recessus omnibus pateant.

9. Procul absit à conversatione tuâ omnis malevolentia & invidia; id enim placidi & & humani ingenii est indicium. Atq; in omni Animi motu & affectuum insultu, imperio rationis te submittas, eâ ratione, aut tibi integrum manebit existimationis decus, aut saltem ab ignominiæ labe immunis eris, quâ vulgus hominum turpiter maculari solet.

10. Coram iis, qui tibi dignitatis gradu sunt inferiores, cave quicquam indecens proferas, aut contra bonos mores offendas. Alitèr tuo exemplo aliis liberiùs peccandi Author eris, tuáq; Authoritate vitium firmiùs radices aget.

11. In amici arcana noli immodestiùs scrutari,

tari, ne fortè ea detegendo, amicitiæ vinculum solves.

CAPUT VI.

De congressu & colloquio.

1. IN hominum doctorum, graviumq; congressu, levicula in sermonem ne inducito, nec apud indoctos subtiliora, quàm ut intelligant, aut quæ difficultèr inveniant, sententias crebrò ne eloquere, præsertim apud æquales, minimèq; apud eos, qui dignitate tibi antecellunt, nec tempori item, vel auditoribus aliena. Inter epulas festave tempora, tristia ne commemorato, non diritates plagarum, non scelera aut mortem, non immunditiarum spurcitias; quin si de his sermo aliunde inductus erit, tu, si potes industriè commutato. Somnia nisi intimis familiaribus ne referto, eaq; tùm, cùm illustrem rerum significationem dare videbuntur, cui fidem tamen ne habeto.

2. Non est hominis bene instituti, de rebus suis gestis, de ingenio, virtute, cæterisq; ejusmodi laudum nominibus gloriari, quinimò de sua aut suorum nobilitate, divitiis, honoribus, nisi coactus non loquetur. Idem haud se temerè tamen in sermone admodum deprimet.

3. Ubi risui non est locus, ibi cavillari & jocari velle importunum est. Ne rideas effusè, nec sine idoneâ causâ, tantumvè ideò more tuo ut rideas. Ex alienâ calamitate risum ne captes, etsi Risus per se opportunus esse videatur.

4. Neminem injuriosè appelles, néq; joculo, neq; extra jocum. Neminem verbis perstringas, neminem ludifices, hominem præsertim antecellentem, tametsi ab eo causa aliqua sit.

5. Ne sis morosus, aut difficilis, sed comis & liberalitèr officiosus, priorq; aliis salutem dicere occupa. Sermonem accipe, & redde, nec te conde in recessum, cum in vita communi humanè congredi & colloqui oportet.

6. De nullo, de nullius rebus, ullâ ratione detrahe. Etiam cùm laudas modum tene.

7. Ne eos convenias, quibus gratusvè intervenias, tibi incertum sit. De rebus, si Authoritate primus non sis, sententiam nisi rogatus ne dicito, præsertim non in tempore, neq; utilitatis spe allucente rogatus, sermonem confer in pauca, maturéq; ad rei caput accede.

8. Si qui ulla de re duo contendunt, neutri nisi quid cogit, accedito. Quod sentis ne pertinacitèr defende. In rebus quæ ad sentiendum liberæ sunt, quæ pars sententiarum numero est superior, eam complectere.

9. Alienis culpis censorem te, & reprehen-

sorem

forem ne appone; est enim id Magistrorum, Patrum, aut eorum qui præsunt, proprium munus. Potes tamen alienum ab re animum præ te ferre. Potes etiam interdum prudenti ratione opportuna in rem monita delinquentibus adhibere.

10. Aliorum labes, ac maculas, tametsi natura insint, maximè si in facie insident curiosè ne despicias, neu causas sciscitetis, unde extiterint. Quod in aurem amico fidentèr dicturus esses, præsentibus aliis silentio preme.

11. Quæ lingua tibi ignota est, aut non probè percepta, ea ne sermocineris, nisi in re necessaria, ut animi tui sensa intelligentiùs exprimas. Patrio, ac gentili idiomate utere, non inconditè, ut fæx populi, sed ut politiores, atq; ornatiores cives tui, & cultè & elegantèr. Imprimis castè loquere, ac verecundè, turpia verba nec clam alteri in aurem, nec liberiùs quasi per lusum immodestiùs funditans. In sermone de rebus altis & negotiis seriis, fac vilia, & plebeia verba, tibi ne excidant.

12. Ne eloquere, nisi re priùs cum animo tuo cogitata, expensaq; in Quotidiano sermone verborum circuitione ne utere, argutius, dædaleasve locutiones ne quære; volvente aut lapsante linguâ verba ne involue, contrâ, ne loquere tam lentè, & cunctantèr, ut fastidiu crees auditoribus.

13. Dum

13. Dum quis alius loquitur, cave Auditores tuâ causâ ab eo defluant, tu audi facilis & attentus, non oculos aliò intorquens, non aliud agens. Si ductim quispiam, & quasi restitans loquitur, tamen ei, velut loquenti subserviens, verba ne supple, nisi hoc te roget, aut privatìm res agatur, sitq; ipse de intimis tuis & perfamiliaribus, neq; interpelle autem, neq; ei responde, quoad loquendi ipse finem fecerit.

14. Dum colloquio intervenis, ne percontare ecqua de re sermo inductus sit; habet enim id specimen Authoritatis. Precare potius urbanè & comitèr, ut qui cæptus erat, pertendere ne gravetur, si ideo conticuisse eum senties, quia tibi defert. Contrà, si quis colloquenti tibi intervenit, præsertim vir spectatus & gravis, est è rationibus decori, sermonem habitum compendium referre, deincepsq; totum prætexere atq; exequi.

15. Nihil ore, oculis, manibus faciendum indecorè, quò res quæ dicitur exprimatur. Nec verò tenenda Brachia sunt, aut in tergum reducta, aut complicata decussatave. Inest enim in his corporis gestibus, plus quiddam authoritatis, sed sustinenda eâ ratione modoq; ut manus altera alteri adjecta, quorum adversæ sint, paulo infra pectus, aut ad zonam deductæ. Inter verba, etiam adverte quàm compositè corpus moveas: quo in genere nec caput moves, nec

nec manibus mices, & firmo in vestigio consiste.

16. Inconcinnum est inter loquendum, Pileum ori, aliudve quicquam prætendere; Chartam aut quæcunq; alia mansitare, capite micare, cubitos collidere, unum in pedum collocare sese, tibiarum alteram alteri transversam inducere.

17 Eum de quo loqueris, digito nè monstra, ad ejus autem quicum loqueris nec vultum, quem vereri imprimis addecet, nec personam propriùs accede.

18. In multorum congressu, privatim ne uni atq; arcanè colloquitor: verum de re hujusmodi differ eum in tempus alterum, nisi tu forte cæteris præsides.

19. Intempestivè velle adire & colloqui, perinde est atq; agendo nihil agere, aut si quid Agis, eos quos sic velis, sic adeas, molestiâ; & indignatione complere.

20. Hominum cum hominibus comparationes devita, ideoq; si quis rei bene gestæ, aut virtutis prædicatione laudatur, tu coram eo de eadem virtute ne lauda. *Omnis enim comparatio odiosa est.*

21. Novis de rebus dissipatos sermones Rumoresvè narrare aliis facilè in animum inducas, nisi veros esse certa authoritate cognôris, neq; itidem pertinaci audaciâ Rumores tales affirmare aut defendere perseverare

ſeverare oportes, ubi imbecilli veritatis fundamento rem inniti manifeſtè apparet, ſin verò ſenſu tuo apprehenſus fueris, eò confidentiùs aſſerere potueris. Nec cùm audita refers, Authorem memores niſi gratum ei id fore jure exiſtimes. Quod ſecreto audis, tecum habeto atq; alteri ne dixeris.

22. Si quid narrabis, leges, ratione diſſeres longus ne eſto, tum maximè, cum aut res ipſa parvi momenti eſt (hac enim ratione faſtidium ſæpiſſimè tibi concilies) aut ſentis eam Auditoribus tuis minimè gratam eſſe.

23. Noli eſſe in alienis rebus curioſus nimis & ſolicitus indagator, & ubi qui inter ſe conferant, arcano colloquuntur, eò ne accede.

24. Quod efficere atq; exequi non potes, in id operam tuam ne deferas: quod ſpo-ſponderis verò, id ſerva atq; perſta.

25. Quæ legatio obeunda tibi erit, quæ Relatio, quæ Authoritatis tuæ exercitatio, ea fac tranquillè prudenterq; defungare, ſive illa tibi ad Plebeios homines, ſive ad illuſtres ſuſtinenda erit.

26. Interea dum qui tibi præſunt cum alio verba faciunt, cave aut fabuleris, aut rideas, aut aurem iis quæ inter

eos

eos dicuntur, admoveas.

27. Ne musses, ne gannias, aut dentibus ſtrideas.

28. Quod neſcis certò, tanquam certum ne aſſeveres.

29. Inter majores, maximèq; eos, qui-cum imperio tibi præſunt, non interrogatus ne alloquere. Locaturus conſurge, ac nudato capite paucis reſponde; niſi & ſedendi & caput obnubendi, poteſtas facta tibi fu-erit.

30. In concertationibus maximè quæ in communi vitâ occurrunt, ne ſis vincendi adeo cupidus, ut non aliis ſuas quoq; di-cendi partes liberas relinquas. Seu jure autem ſeu injuriâ contendas, par eſt ac-quieſcere te Authoritate aut plurium aut contenſiorum, multoq; magis eorum qui vel tibi, vel Diſputatione præſident.

31. Laceſſitus verbo, vel injuriosè ap-pellatus, neq; reſpondes, neq; te defendas, magis Rem joco elude, aut tanquam eo te modicè tangat, ità te oſtende; eſto multi ad jus tuum defendendum te vocent, certus, non omni dicto reſponſo opus eſt.

32. Non cuivis ſermoni pugnaciter re-ſiſtas, contentiosè iſta opponens; *Non ſic res habet, ità habet uti ſentio dicoq;*. Sed

alieno

alieno judicio ſta, iis potiſſimum de rebus, quæ ſint an non ſint, haud magni intereſt.

33. In communi, etiam tuorum æqualium, congreſſione; ne latera ut planus, & circulator, ſed loquere modicè, & opportunè, quamdiu ſe aliquid dat quod tum ſit ad Rem quâ de agitur, tum certum tibi atq; exploratum. Nam de re quam non teneas ſermone inceptare, eoq; incepto excuſare caducam rei memoriam, quam te legiſſe tamen certò ſcias, frigida & invenuſti exempli excuſatio eſt.

34. Si quid narrare occeperit quiſpiam, non obtundas narranti, id jam te ſcire: eiq; rem non apprimè rectiſsimè narranti, ne abnutes, neu contra nutes, aut contra illudas. Multò minus dici æquum eſt, non ſic res habet, falleris.

35. Vocem ne contende ut Preco, nec tum demitte, ut quoad par eſt non exaudiaris.

36. Te addecet compoſitum honeſtâ gravitate, quid alii dicant animum attendere, ſubinde ne iſta turpitèr quærites; *ei quidnam dicis? Qui geſta*, inquis, *res eſt?* fugerunt me quæ dixiſti nec aliud id Genus ineptius loquentibus obſtreperè & moleſte inculces.

37. In

37. In deambulatoriis congressionibus, ne temerè ut fræno socium inhibe; tertio quoq; verbo eum demorans. Nec tam vicinum ei te applica, ut cubito pulses; nec plus palmo circiter ab eo te abjunge.

38. Annum in pangendis Proemiis, aut in excusationum ceremoniis ne pone; qualia hæc sunt. Amabò, vir spectatissmè, ignosce si haud satis culte, satis idonè rem dictr us sum: obsequendi tibi studio plus etiam enitar, quàm efficere possum, *&c.* Aliiq; ejusdem modi odiosi & insipidi præfationum circumductus. Verum quoad rectè fieri & commode potest à re ipsâ ordire, exorsusq; ingenuâ animi Audaciâ & fiduciâ imperturbato orationis tenore sermonem contere ad extremum. Id quod dum agis, ne longus esto, nec digredere frequentèr, nec unum aliquem loquendi modum crebiò inculca.

39. Qui impeditiore est linguà, is ne ambitiose semper loquatur; sed operam dat, ut quod linguæ deest, silentio & attentione suppleat.

40. De absente nihil mali dixeris, iniquum enim est, alterius dignitati detrahere, aut ejus famam lædere, qui coram non adsit, ut aut diluat objectum crimen; aut subeat censuram admissæ culpæ.

41. In-

41. Inconcinnum valdè, si non prorsus ridiculum de iis rebus differere, quæ longè superant Auditorum captum, quamvis enim ex illorum ignorantiâ tui admirationem procuraveris, veruntamen prudentum derisui te exponeas. Cùm apud imperitos, sermo tuus vacuus evanescit in Auras; auditoribus assensum nullum præbentibus à te dictis.

CAPUT VII.

Decorum in Mensâ.

1. MEnsæ accumbens, corpus ne ſcalpas: pari cura à ſputando, tuſſiendo, emungendo Naſum, tibi, quoad potes, tempera: ſi qua te horum neceſſitas urgebit, apte & decore ei ſervias, tùm quam minimo ſtrepitu, tum vultu nonnihil ſubducto, atq; averſo.

2. Ne ut Lurco, aut Helluo, ſic edas.

3. Panem partiri, non manu ſed cultro, niſi permodicus, recenſq; ſit, quem manu partiri convivæ omnes aut pleriq; decorum deputant.

4. Non te immittas in Menſam ad cubitos uſq; neq; quâ in ſede reſides, ei aut humeris, aut brachiis ineptè incumbas.

5. Fartim nè edas, expletis ambabus Malis.

6. Panem vino ne inſucces, niſi aut ſummâ domi authoritate ſis, aut valetudo tua rem excuſet.

7. Neutiquam oſtendes aut Dapes, aut vinum egregie Palato tuo arriſiſſe. Sed ſi domûs

domûs ac Mensæ moderator, de aliquid te poscit, responde modestè, & prudentèr. Cave etiam ne ut gulosi solent cibos eleves, nec alios, pluresve in Mensam inferri cures.

8. Salem è salino carpturus, culter nè unctus sit vide; Cultrum autem aut fuscinulam cum detergere opus erit, aut panis frustulo, ut alicubi usus est, aut ut alibi Mantili apte id fiet, non ad totum panem pingui affrictâ.

9. Si quem convivio excipis, ei te decet cibos honoris causâ dispartiri ac porrigere, etiam illum liberalitèr iis impartiendo qui coram eo sint. Sin te alius convivio excipit, præstat expectare te dum Epuli dominus, aut ejus nomine alius quispiam cibis te participet, quam tu tibi manu eas præsumas, nisi aut familiares inter candidè amicos epulatio sit, aut qui Epulum dat, ultrò à convivis sibi id gratiæ apponi petat, omnes ut libere, non expectatâ alienâ manu de mensa sumant, uti domi, suo arbitratu. Est & prudentèr ac modestè officiosi, domi alienæ, ubi authoritate non valeas, Chironomi munus haud usurpare: quod non usurpes audactèr, sed factites cùm laude, ubi ubi in frequenti convivis mensa oculus manusve domini omnibus prospicere non potest,

teſt, ideoq; partem curæ ſuæ, tacite aut diſertè, longo in convivii ordine illo libens volenſq; aliis tranſcribit.

10. Cibos ne perfla, ſed ſi calidiores erunt, expecta dum defrigeſcant. Juſculum quidem temperari poteſt modeſtè, ſenſim cochleari illud commovendo, at de ſcutulâ ſorbere illud ad menſam, vel combibere, non cochleari ſibi in os indere, indecens eſt.

11. Cibos ad menſam ne olfacito; & ſi quos forte olfeceris, de hinc convivis cæteris ne apponito.

12. Panem unctis digitis, adipato contactu, ne perunge, eum ſecturus ante tibi manus deterge, ſi unctæ erant. Proinde cave ne manum conſpurces, digitos perungas; & ubi cochlearis ac fuſcinolæ copia eſt, iis, ut decet, atq; ut bene educatorum mos eſt, utere.

13. Si Panem, carneſve in Embamma intingis, quod præmorderis ne iterum intinge, moderatum fruſtum ſit, quod in ſingulos intinctus condimento imbuis, quod unâ buccea confici totum queat.

14. Non ſunt dejicienda ſub menſam, non jactanda in Terram oſſa, putamina, vinum, alia generis ejuſdem: Excipiuntur quæ manſu dura, ac Nauſeoſa deſpuere neceſſitas

necessitas cogit, neq; hæc talia tamen sine aliquo decoro ore ejectantur. Eaq; excipiant digito duo, manusve sinistra compressa belle ad excipiendum, simul occludendumq;. Quod si res liquida ac fluens erit tam despuenda in terram liberiùs, sed quod ante est annotatum; vultu, si integrum erit, subducto, interim, atq; averso in Latus.

15. Est & decori munditiis alienum, prunorum, cerasorum ossa dura, talemve reliquam aliunde materiam in patellum inspuere. Sinistrâ, quod proximè dictum est, ori admotâ, decentèr primùm excipiantur, tum super quadra seorsum deponantur.

16. Ne Rusticè cum cultro in manu, simul eâdem cibum tibi in os ingere.

17. Quæ aliis apposita sunt fercula, ea, circum oculis ne perlustra. Dum bibis, dum vesceris, oculos ne sustolle.

18. Panem multum sectione unâ ne conscinde, nec conseca in frusta quadrasve grandes, sed in exiguas, vel mediocres. Eundem æquabilitèr subseca, ob eamq; rem neq; ut fossis in eo lacunis, excava, neq, ut exenterans, solam micam exime. aut solam crustam defringe, sed ambas unâ fucelde. Neq; panis Bucceas apposito orbe, aut patellâ concide.

19. Si, quòd dentibus es imbecillis, panis crustam mandere non potes, vel si ambusta illa aut prædura sit, consultius videtur crusta singula prout ea consecas, quam totum solidè panem crusta desecta, distringere.

20. Insulsa res est, in offam, in pulpamenta, quasi arcuato in ea torpore, inclinatum propendere, sat est conquiniscere, atq; incumbere nonnihil, dum jure aut aceto insuccata buccea è mensa in os mittitur. Ne liquente succo vestium sinus conspurcetur, Hâc re provisâ, caput illicò surrigendum est.

21. Sunt & temporum intervallis amovendi à cibis & patinis oculi: non tamen idcirco aut circumferendi vagè, aut in convivas, in Mensæ ministros, in aliena fercula defigendi.

22. Fœdum apprimè est, mappas dapuli unguine inquinare, horridius etiam madentem sudore vultum, nasi proluviem, orbes, patinas mantelio detergere.

23. Quod delibaris, idem è manu, seu vinum seu quid aliud alteri ne porrige.

24. Manus Dapum succo & liquamine perfusas pani ne affrices, toti præsertim & mole aliquâ solide integro: quod si lautius perunctæ erunt, possis (ut quidem videtur)

primum

primum ad panis turundam, quam mox ori ingesturus sis, eas defricare tum mantili permundare, quod iis jam detersis, minus fœdetur.

25. Cùm vesceris, cùm bibis, dentibus ne concrepa sorbendo inurbanè, antequam poculum labris admoveas, præmande cibum, ac nisi prius mantili aut linteolo abstersa nè bibe, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ibi de communi bibitur poculo. Inter bibendum intortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmodum & Ciconiarum Exemplo cervicem in tergum reflectere, nequid hæreat in imo cyatho parum est liberale. Ne mande stridulè aut alio quovis modo convivis ingrato.

26. Ossa suctu avido, sonoro præsertim ne suge, ne exsucca, nec carpe utrâq; manu, sed solâ unâ, ac venustè: ne Canum more arrode, sed manu unâ præhensis ac fere digitis duobus, carnes cultello exime, medullam ne ad panem, ad lances incussis iis ossibus excute, sed ea placidè cultro, si potes emedulla. Omnino probè moratis non placet ossa manibus tractari, ac multò minus in os immitti.

27. Duriora quæ sunt, ut ossa carnium, fructuumve, cultro ne frange, ne disseca, nec

dentibus, aliâve ope comminue, sed intacta relinque.

28. Communi è ferculo, quod socio obversum ac sub manum est, id ne usurpa, sed sume quod tibi adjacet, nec quàm alii luulentius. Ac si fructus erunt, si res consimiles, eas ad delectum curiosâ ne attracta. Ac quibus commune tecum ferculum est, ii quid sumant ne attende.

29. Buccella Buccellæ succedat, in stomachum jam trajectæ. Tales Bucceæ sunto, quæ malas immodicè non inflent, manu unâ cibum ori admove, atq; ut mos est sinistrâ.

30. Scyphum, Pateramve, ne sic vino corona ut in Mensam exuberet.

31. Dum in ore adhuc Buccea est ne bibe. Potum autem ne posce, ne loquere, ne vinum tibi infunde, ne bibe interea dum bibit qui tibi proximus assidet, aut qui mensâ summus omnium est.

32. Dum bibis, aliò ne circumspice.

33. Ne perlente bibito, ne præfestinè, ne ut vinum commanducans, nec frequentius. Nam hæc talia sunt Ebriosorum. Sub potum atq, à potu labia tibi absterge, ut neq; à potu neq; unquam alius, quasi anima oppressa, densum & cum strepitu expira, est enim res factu quam indecora.

34. Dentes

34. Dentes ne Mappa aut mantili, ne digito, cultro, furcilla, ne quod putidissimum est unguibus perpurga, sed Dentiscalpio. At mensâ in ipsâ dentes tibi scalpere, si alii id non factitant, aut si Eleganter instituti in more non habent, haud quaquam convenit.

35. Vino os ne collue, quod mox propalam despuendo ejectes, verum mensâ solutus, manus cum cæteris lavare unà assuesce. Certum palàm os colluere, elegantiæ alienum videtur. Quare & cum ad Mensam polubro subjecto aqua manibus datur, solas lavare manus addecet.

36. Non est præstabile admodùm, atq; hodie obsoletum videtur, mensæ socios, crebrò præsertim atq; importunè invitare, ut appositis Epulis sese exhilarent. Nescio quo pacto enim Epulandi libertas, dum fieri iis videtur, magis tollitur. Minus te condecet quoties bibas aliis propinare, quod si te alii poculis invitant, potes modeste rem depræcari, gratiam habendo teq; victum atq; imparem confitendo, aut verò referendæ gratiæ, vinum libare tantum, præcipue ubi præbendi gratiosus mos est, & nisi gratia redhibetur offensio nascitur.

37. Simul ac alii edendi finem fecerint, fac & tu tibi modum, neq; tum verò laxis brachiis mensæ

mensæ incumbe, sed solis manibus extremum contingito.

38. Est dignioris in Mensa, atq; in summo accumbentis, mantile primò explicare, primò in Mensam manum porrigere; cæterorum expectare quietè dum inceptet, nec manum antè quoquam admovere.

39. Vicissim est ei jus, qui præsidet, tempestivè incipere, providere attentè omnibus convivas sermonibus mulcere, mensam claudere, sed tam intra modum, ut lentissimo cuiq; suum sit vescendi accommodum tempus. Teneat se interim, si opus est, escis, levitèr degustandis, aut ubi colloquendi est usus, conserendis amœnis sermonibus, usq; dum omnibus sit exempta fames, atq; edendi cupido.

40. Quidquid Epulis intervenerit, nihil irascere, ira incitatus, tamen eam comprime ut ne se efferat, nominatim si extranei tecum accumbunt. *Ferculum in convivio primum sit vultus hilaris.*

41. Ne accumbas in loco principe, sed si iste decet, aut qui domûs princeps est, ita omnino vult, ne tantopere obnitere, toti ut cætui molestus sis.

32. Inter mensam, si lectio, si sermocinatio erit, fac attentus sis, ac si tibi loquendum fuerit, vide ore vacuo ut id facias.

43. Quum de Deo ejuſve attributis mentionem feceris, Reverentiam tanti Numinis ſermo præ ſe ferat; Jocari enim, aut in Rebus divinis Ludionem agere deteſtanda eſt impietas, Divinam Juſticiam ad vindictam impellens; quæq; apud omnes fidem tuam reddet ſuſpectam.

44. Diſcenda eſt à primis ſtatim annis ſecandi ratio, non ſuperſtitioſa, quod quidam faciunt, ſed civilis ac commoda; alitèr enim armus, alitàr coxa: aliter cervix, alitèr cratis; aliter capus, alitèr Phaſianus: aliter perdix, aliter anas, &c. ut ſi forſitan aliquandò ſecandi ſors alicui devenerit, aut à menſæ Præſide hæc Provincia demandabitur, oportet eum hâc arte eſſe ſatis inſtructum ac peritum uti dextrè ac decorè officio fungatur ſuo; ne minus Artificii hujus callens, inconcinnè ac Canum planè ritu cibum dilaniat, quò minus commodè convivis diſpartiri poſſit.

45. In Rerum cognitione acquirendâ, ſive in contemplatione rerum naturalium, ſive in morum inſtitutis, nullum omnino negligatur præceptum. Quæ enim primo intuitu minus utilia videantur, ea ſecundæ forſan cogitationes obſervatione digniſſima judicabunt.

46. Cum ſcientia rerum perficit Intellectum, prudentia adhibeatur, quæ cognita in

in operationem ducat, nuda enim boni contemplatio non magis sufficit, ut exinde viri boni cohonestaris titulo, quàm corpus absente animâ te hominem denominare valebit; curandum itaq; mentem cognitione ornare, quæ dirigat; sed (modò felicitatis culmen ascendere cupis) summoperè nitendum est, ut cognita transferuntur in usum.

47. Istorum præceptorum sterili cognitione ne acquiescas, sed cùm mente ea insculpseris, ut conversatione tuâ eniteant, summo conamine enitendum. *In actione enim, non in contemplatione consistit Virtus.*

FINIS.

HUjus Libelli quinta Editio Anglicana emittitur per *Guilielmum Lee* Bibliopolam (cui titulus est *Youths Behaviour*) apud quem prostat venalis ad Insigne Capitis Turcici in vico vulgò vocato *Fleetstreet*.



Septemb. 18. 1651.

Imprimatur

John Downame.

